

Q. D. B. V.

57.

Qvæstionem Juris Gentium,

AN SUBDITUS

AB EXTERNO PRINCIPE POSSIT NOBILITARI?

Sive

An Thomas Arundellius Anglus, à RU-
DOLPHO II. Imp. creatus S. R. I. Comes, in
Patria à Baronibus agnosci debuerit?

IN ILLUSTRIS AUGUSTEO

Moderatore

M. CHRISTIANO WEISIO,

Polit. Eloqv. & Poës. Prof.

Publ.

Ad d. I. Jun. M DC LXXVII.

Duabus Oratiunculis

ventilabuntur

GEBHARDUS FRIDERICUS à Krosigk /

&

VOLHARDUS LUDOLPHUS à Krosigk /

Fratres

Eqvites Anhaltini.



WEISSENFELSÆ,

LITERIS JOHANNIS BRÜHLÆI, AUG. TYPOGR.



X qvo tempore Jus Gentium aliquan-
to accuratius doceri cœpit, è gemino
quasi fonte conclusiones ejusdem de-
duci observatum est. Aut enim ante
oculos versantur principia rationi per
naturam insita, quæ singulis homini-
bus ideo nequeunt esse incognita, quod sine ipsis
rationalem animum ne intelligere quidem possu-
mus; aut ex adverso spectare solemus, quid diutur-
nâ hominum consuetudine, præsertim in societa-
tibus moratoribus, fuerit introductum, ut hac quasi
cynosurâ admoniti, quem vitæ decorem sequi pul-
chrum sit, cognoscamus. Principia naturalia sive
ea prima sint, sive per bonam & infallibilem conse-
quentiam è primis deriventur, certam habent, ut
ita loquar, subjecti & prædicati connexionem, ac
proinde non defuerunt, quos in Practica hac doctri-
na, aut demonstrationes, aut probationes demon-
strationibus non omnino ab similes, invenisse audi-
vimus. Quamobrem si quis scire velit, cur apud
omnes gentes injustum habeatur violari Legatos?
è naturali principio respondebitur, Pacem vitæ hu-
manæ necessariam, ac inde sequi, media, sine quibus
impetrare pacem nemo possit, æquè esse necessaria;
at sine Legatis utrinque invicem missis pacem nun-
quam fuisse compositam, experientia teste compro-
bari.

bari. Et pleni sunt exemplorū libri, qui sive ex amore
societatis, sive ex amore sui ipsius quē Philantiam
nominamus, sive tandem ex inscripto mentibus
Decalogo, receptas in cōmuni hominum societate
leges confirmant. Ut eostaceam, qui, dum ratio-
nis rectæ & corruptæ nullum agnovere discrimen,
ex utilitate propria, & ex jure in res omnes dedu-
cere justitiam sunt conati. Et ista quidem princi-
pia non immeritō perpenduntur, quoties inter
Gentes, id quod justum est, venit in controversiam,
& quoties sive ex acquisitione, sive ex pacto, sive
ex delicto, in alterum iusta dirigitur præten-
sio. Interim alia quoque controversiarum seges est, quæ li-
cet è rationali dictamine aliqua mutentur consilia,
plenam tamen confirmationem non nisi ex con-
sensu & consuetudine depromunt. Pertinet huc,
quicquid de Prærogativa ordinis, de recipiendis,
audiendis & dimittendis Legatis, de diversorum
graduum nobilibus, de Crimine læsæ Majestatis,
de conventionibus militaribus, de Judiciis & Arbi-
tris inter Personas pares, unō verbō de conservan-
do Principum Splendore interdum solent contro-
verti. Quicquid enim sive pluribus sive præci-
pue gentibus videtur placuisse, id eo usque hone-
stum esse creditur, ut quasi ex lege debitum subin-
de ab aliis postuletur. Ita hodie inter Legatos
quasi numeris adstricta est justitia, per quot con-
clavia, per quot scalæ gradus, imo per quot extre-
mi atrii passus, visitantis excipienda sit persona:
quæ tamen singula ne prudentissimus quidem ju-
risque naturalis callentissimus esset judicaturus,
nisi

nisi facem præferret receptæ consuetudinis obser-
vantia. Et ne quis Aulicas ejusmodi ceremonias
ad solam consuetudinem pertinere existimet, lubet
inspicere, quicquid de Prærogativa seu Præceden-
tia, ut vocant, semper agitatum fuit. Sanè natura
judicat potentio-rem ac nobiliorem primò locò esse
ponendum: Sed quia Regum par esse creditur
potentia & nobilitas, judicium consuetudini per-
mittendum videbatur. Nimirum in Conciliis ille
Rex primum habebat locum, cujus majores pri-
mùm accessissent ad Ecclesiam, adeoq; præ cæte-
ris in Concilio impetrassent sessionem: id quod na-
turæ consentaneum esse, probat Grotius *J. B. P.*
lib. 2. cap. 5. n. 21. Cur autem ordo in Conciliis le-
gitimus etiam traheretur ad conventus Politicos,
& superioribus præsertim seculis pro norma agno-
sceretur? non tam ex principio naturali, quàm ex
nuda consuetudine & consensu potuit constare.
Sicut ex alio Principio nemo probaverit, cur The-
ologi Jctos, isti Medicos, hi Philosophos antece-
dant. *vid. Freinsheim. de Præced. Elector. & Card. Diatrib. 2.*
§ 26. Et quia hic ipse gentium consensus perlu-
strandæ historiæ studium Politicis maximè reddit
necessarium, unum adhuc lubet adjicere exem-
plum, de Jure armorum seu insignium. Nimirum
cum anno 1559. Maria Scotica Francisco II. Regi
Galliæ nupta Angliæ insignia sibi tribueret, ex ar-
morum Lege, ut Camdenus loquitur, *part 1. pag. 30.*
seu ut novissima habet editio p. 32. ostendebatur, non
licere cuiquam alicujus familiæ insignia usurpare,
qui ex certo ejusdem hærede non esset natus. Imo
ex

ex

ex ipsa consuetudine probabatur, Gallos, si vel maximè prætensionem habuissent in Siciliam & Neapolin, eorum tamen regnorum insignia non jactasse in clypeo: ac proinde, quicquid fictitii juris nunc Mariæ esset in Angliam, nondum emergere causam, cur ideò insignia arriperentur. Jam quæro, quis hæc armorum jura poterat cognoscere, nisi cui è gentium historia, quid singulis hac in re placuisset, redderetur perspicuum? Et hoc ipsum est, quod disciplinarum Practicarum maximus restitutor Grotius è gemino hoc principio Jus suum Belli & Pacis illustrare fuerit conatus, ut tum è natura concluderetur, quid justum esset, tum ex historiis colligeretur, quid hominibus moratoribus conforme esset. Similem sibi finem habuit propositum Richardus Zouchæus Anglus, qui excerptis è curiosa historia Juris Gentium exemplis insignem huic studio lucem est fœneratus.

Eqvidem posse his temporibus Politicum aliquam sibi claritatem polliceri, si Practicam hanc disciplinam non attigerit, fortassis nemini persuasum est. Interim an in Gymnasiis ejusdem excitanda sint fundamenta, multi dubitant. Neque me habiturus est consentientem, qui in hoc studiorum cursu disciplinis instrumentalibus tractationem rerum adeo sublimium anteponat. Id tamen cum Juventutis commodo conjunctum esse credidi, si, quoties Oratoria facultas exemplis esset illustranda, è principali illa disciplina dicendi peteretur argumentum: ut istis initiis rerum Politicarum sensim admoniti, postea in Academiis Doctori-

etoribus promptiores afferrent Auditores. Nimirum sicut pulverulenta sermonis materia ingenium reip. natum facile deterret; ita quicquid ex ipso vitæ splendore depromptum est, excitatam ad altiora indolem mirificè solet provehere. Unde factum est, ut Historiarum lectionem cum progymnasmatibus Oratoriis conjungerem, ne obscurum auditoribus maneret, tum quanta hinc inde offerretur loqvendi necessitas, tum quibus mediis acquiri deberet hoc ipsum loqvendi artificium.

Et verò si quisquam inter recentiores Historicos Politicam hanc Oratoriam illustrare potest, Camdenus Annalium Anglicorum scriptor istius argumenti palmam facile cæteris reddit dubiam; ita in omnibus ferè paginis demonstratur, natos quasi Anglos esse, ad Juris Fecialis promovendam illustrationem. Eòque nomine gratulandum Juventuti est, Auctorem in tabernis librariis non venalem, novâ nuper editione novam sui industriam commendasse.

Libenter autem nomino Scriptorem his temporibus facilè comparabilem. Quorsum enim attingeret laudare alios, qui Juris gentium notitiam cum ipsa Prudentia Politica copularunt; & quos si habere Studiosi possent in manibus, o quanta & judicandi & dicendi erueretur copia! Sane quoties adspicio, quicquid Georgius Brautlacht de Pacificationibus Austriacorum & Gallorum usque ad annum 1630. congeffit, sive quicquid incomparabilis Historicus Leo ab Aitzema de Historia Pacis apud Hollandos ab anno 1621. usque 1654. collegit, nun-

nunquam non ejusmodi exopto auditores, quibus tam pulchram eloquentiae exercendae occasionem possim aperire. Praesertim Brautlachtius Augustae Vindelicorum 1644. editus, adeoque nunc in praecclaris saepe Bibliothecis non obviis, eo impensius videtur auctam & repetitam postulare editionem, quo promptius hoc est edendis nugis seculum.

Sed redeo ad Camdenum, e cujus historia, quantum exerceri Oratio queat, duo nobilissimi Juvenes conabuntur declarare. Nimirum 1596. Thomas Arundellius de Wandour in bello Hungarico editis praecclari animi documentis Rudolphum II. Imp. eò sibi devinxerat, ut Comes S.R.I. crearetur. Reversus autem in Angliam contrarios habuit, regni Barones, ipsiusque Elisabethae judicio jussus negligere titulum, nisi vellet in regnum esse injurius. Sic credunt Principes suam minui Majestatem, si aliena Majestas pertingeret in eorum ditionem. Sic Elisabetha paucis annis ante receptos à Gallo in S. Michaelis ordinem coegerat, ut resignatione facta insignia ordinis remitterent. Sic anno 1540. Galli illos Barones & Equites, quos Carolus V. Lutetiae Galliam transiens creasset, pro legitimis habere recusabant. Sic Praetor Lugdunensis olim obstetit Sigismundo Imperatori, cum in illa Civitate Sabaudiae Comitem renunciare vellet Ducem, & quae exempla hujus consuetudinis suppetunt alia.

Cæterum Arundelli causam quod attinet, ita in exercitio nostro pertractabitur, ut primum progressus **GEBHARDUS FRIDERICUS** Histori-

5
istoriam prolixius paulò recitet, assumptâque Baro-
nis Anglici personâ, quantum adversus Regni jura
à novello isto Comite peccatum fuisset, eat demon-
stratum; postea secutus VOLHARDUS LU-
DOLPHUS è Germanorum principiis deducat,
Anglos causam non habuisse, cur hanc dignitatem
vel in suo regno impugnarent. Hoc enim Oratori
licitum fuerit pro splendore Germanorum allega-
re, quod jam in suis Consultationibus fecit Lans-
us *pro Britan. pag. m. 532.* Etsi miror, Oratoriam
hanc licentiam in suo Jure publico secutum Limnæ-
um *lib. 2. cap. 9. n. 29.* quasi hoc exemplò satis fuerit
probatum, esse Imperatori jus nobilitandi exteros:
cum tamen Anglica historia planè contrarium,
in isto quidem Arundellio videatur testari.

Et has Nobilissimi Juvenes Augusteo nostro
Primitias consecraturi, sperant certissimè, ad futu-
ros ad diem craftini horâ consuetâ, quoscunque
hoc Gymnasium sive Patronos sive Fautores &
Amicos agnoscit; nec suo saltem, sed suorum et-
iam nomine pollicentur, indelebilem semper tanti
beneficii remansuram memoriam.

Faxit DEUS, ut quamdiu florebit Augustéum,
(floreat autem diutissimè!) simul florentiora No-
bilium experiamur ingenia, quæ sensim liceat,
Principi, Patriæ, Familiæ, ad servitia, ad utilitatem,
ad splendorem destinare. P. P. Weissenfelsæ
Prid. Calend. Jun. M DC LXXVII.

